



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque
obeundi**

Dirckinck, Johann

Coloniæ, 1690

Feria III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

fectionum paleas exsuffla : & cymbam animæ meæ ad portum perfectionis & felicitatis æternitatis suaviter & efficaciter dirige.

Veni, ô ignis & flamma divini amoris ! & omnium mortalium pectora succende, purificer à te, ut purificem alios; illuminer à te, ut illuminem alios; accendar à te, ut accendam alios: ideo enim de cœlo mittaris, & quid vis nisi ut accendamus?

FERIA III.

Suspiria pro impetrandis 12. Fructibus Spiritus Sancti.

I.

O Salvator dilectissime ! mihi mox in dulcissimo Eucharistiæ Sacramento intimè conjungende: Tu arbor es cœlestis paradisi adferens fructus duodecim per menses singulos. *Apoc. 22.* Ego verò sum oleaster inutilis ac sterilis; quare instantissimè obsecro; inserar in te velut in bonam olivam, ut fructus bonos & copiosos proferam. Tu vitis, nos palmites: tu oliva fructifera, nos steriles: tu arbor vitæ, nos mortis propagines: ah inserar in te, uniar tibi, ut auxilio & favore tuo fructus no-

N 4

VOS

vos & recentes producam tuis non abli-
miles: tu enim dixisti: Qui manducat me-
am carnem & bibit meum sanguinem, in
me manet, & ego in eo. *Joan. 6.* Mandu-
cem igitur te, ut maneat in me & simus
uterque unus spiritus, quemadmodum
ramus insertus est unus cum suo stipite.

I I.

O Fecundissima vitæ arbor! in medio
Paradisi, seu Ecclesiæ plantata, moxq;
in corde meo, mediante Sacramento ama-
bili plantanda: profer in me, & fac ut ego
tecum proferam duodecim fructus Spi-
ritûs: ac

Primò quidem in hac sacra Commu-
nitione excellenter erumpat *Charitas*, que
me cum Deo meo, cum summo Bono
meo, cum Patre & Filio & Spiritu Sancto
intimè conjungat.

II. Deinde enascatur in anima mea
Gaudium in Spiritu Sancto, quòd cor me-
um totum lætificet atq; confirmet.

III. Oriatur *Pax*, quæ exsuperet om-
nem sensum, pacificetque carnem & spi-
ritum, & spiritum meum cum Divino
connectat.

IV. Exsurgat *Patientia*, quæ in laboribus & tribulationibus exulter adeò, ut deinceps in nullo glorietur, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.

III.

O Fertilissima vitæ cœlestis arbor; me parentem surculum gratiæ succo inebria, ut V. germinet in me *Benignitas*, quæ omnibus etiam hostibus beneficiat.

VI. Propullulet *Bonitas*, quæ omnibus me suavem & amabilem reddat.

VII. Protuberet *Longanimitas*, quæ adversa quævis diu sustineat & speret.

VIII. Crescat *Mansuetudo*, quæ iram subinde effervescentem cohibeat, meque ex animo mitem efficiat.

IV.

O Arbor paradisiaca! sterili cordis mei fundo committenda, palmitem aridum gratiæ tuæ rore irriga; ut IX. *Fides* quoque in me vireat quâ certissimè credam, de hoc præsertim fidei mysterio, quod Deus revelavit, & me obtenturum confidam quæ promisit.

X. Promicet *Modestia*, quæ omnes in me exteriores corporis motus decenter componat & moderetur.

N 5 XI.

XI. *Vigeat Continentia*, quæ passio-
num impetus intra legitimos limites
contineat.

XII. Denique floreat *Castitas*, quæ
corpus & animam meam angelicâ puri-
tate sanctificet.

Ad extremum, O Jesu Arbor vitæ no-
bilissima, per gratiam hujus Sacramenti
fructiferi clementer indulge, ut fructus
hi omnes, quos in me producere dignaberis,
sani sint, recentes, diuturni ac copiosi
quibus salus renovatio, ac reformatio spiri-
tus mei constanter ad finem usque
conservetur & augeatur. Amen.

FERIA IV.

*Orationes pro obtinendis virtutibus
veluti dispositionibus ad gratias
gratis datas.*

I.

Domine Jesu Christe, potens opere &
sermone; tu posuisti olim in Ecclesia
tua primùm quidem Apostolos, secundùm
Prophetas, tertio Doctores, deinde Vir-
tutes & gratias curationum, cæterasque
dividens singulis pro beneplacito: nunc
quid hodie dum manus tua abbreviata est